



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De irregularitate ex homicidio casuali c. 81. & 82.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

quod ob secundam committitur. Occidens, vel mutilans ob defensione ineuitabilem vitæ proximi non peccat, sed efficitur irregularis ex defectu. si verò non seruauit moderamen, irregularitati addidit peccatum. Ob solam bonorum temporalium defensionem ecclesiasticis personis non licet occidere, nec laicis si res ablata erat parvum momenti, aut aliter res poterat recuperari, quod si non aliter, licet laici occident, sed erunt irregulares ex defectu. Religiosi autem ita propria bona defendendo, peccarent, & essent irregularares.

De Irregularitate ex homicidio casuali. Cap. 81. & 82.

Qui operam dat rei illicitiæ, qua deinde sequuta est mors, siue per se, siue per aliud, etiam si sit præter eius intentionem, & nullam prætermiserit

diligētiā , est irregularis ex deli-
cto, quare ludens in honeste cum
prægnāte, ex quo sequitur abortus:
& dormiens in lecto cum infante,
oprimit infantem, uterque irregu-
laris est. Qui verò dat operam rei
licitæ , & non adhibita plena dili-
gentia sequitur mors, est irregu-
laris, ut constat de purgante tecta,
& lapides inde proiiciente cum
hominis occisione.* Tertia regulæ
est hęc. Quando aliquis dat ope-
ram reilicitæ , & debitam adhibet
diligentiam , non est irregularis,
vnde laicus cum clero ludens, si
clericus in terram proiiciatur , &
laicus clerici gladio vulneretur , &
occidatur clericus non efficitur
irregularis quia casus fuit omni-
nō fortuitus , ex iis satis liquet,
quod in homicidio casuali , vbi
non est culpa, nulla est irregulari-
tas, quia talis actus nihil habet de
voluntario. Verum omnis actio
illicta , quæ est immediata causa

homicidii, irregularitatem inducit, ut constat de cedente ramum de arbore aliena, ex quo secuta est alicuius mors. tunc enim arborem cædēs fit irregularis. Quando verò ipsa hominis actio non est immediata causa homicidii, sed remota, & non periculosa, nō inducit irregularitatem: ut si quis iocosum verbum diceret, ex quo homicidium sequeretur, talis iocosus non diceretur irregularis.

De Irregularitate ex homicidio lingua commisso. Cap.

83. 84. & 85.

Si non contigit homicidium de facto, nunquam solius linguæ homicidium irregularitatem inducit. At si de facto homicidium fiat, tunc linguæ homicidium, consilendo, mandando, & defendendo, potest esse voluntarium, aut